

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber
specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput VIII. Qualiter homo cor dei salutet.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](#)

qui in se nullum continet flatum nisi quantum ex aere
trahit. »

Quid
reddunt
creatüræ
Deum per
ipsas
laudanti.

Cum autem hymnus *Benedicite omnia opera Domini Domino* in choro cantaretur, desiderabat scire quid ex hoc laudis Deus haberet, cum ita creaturæ ad laudem suam invitantur. Adquod Dominus respondit : « Cum hic hymnus, vel aliud simile canitur, in quo creaturæ ad laudem convocantur divinam, omnes creaturæ spiritualiter, velut personæ quædam in mea præsentia stantes, pro homine illo, vel generaliter pro omnibus, in omnibus quæ feci sibi bonis, me collaudant. »

Non est discredendum si creaturæ in similitudine viventium personarum Deo assistant, cum nihil est impossibile ei qui vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt, et cui nulla creatura invisibilis est ; sed hoc magis mirandum, imo venerandum, quod pius Dominus tam benigne annuit votis animæ se diligentis, et omnia desideria sua, etiam supra quod possibile est naturæ, in sua omnipotentia dignatur adimplere.

CAPUT VIII.

QUALITER HOMO COR DEI SALUTET.

ANGELUS Domini apparuit aliquando Christi famulæ, stans a dextris ipsius in viridi vestimento. At illa dum interrogaret cur viridi ueste fulciretur, respondit Angelus : « Quia semper vireo, et nova quotidie dona tibi defero. » Cui illa : « Si hoc ita est, jam aliquid novi rogo mihi afferas. » Statim Angelus de corde animæ quasi aliquid tollens, Domino illud cum gudio præsentabat; anima vero mirabatur

scire cupiens quid Angelus ab ea tulisset, eo quod illa vice nil specialis devotionis aut fervoris sentiret. Et ecce vidit tulisse ab ea quasi chartam, quæ sanguine suo ita erat inscripta : *Deus fidelis, et absque ulla iniquitate ; et illud : mallem mori quam criminaliter a te separari.* Mane etenim dum cogitationibus infestata fuisset, illa hæc cogitaverat resistendo. Et ait Angelus ad eam : « Hoc tu hodie cogitaras ; et hoc scias : quoties homo cogitationibus et desideriis suis resistendo, proponit in corde suo ante mori quam velle peccare, statim coram Deo acceptabitur, ac si homo virtutem illam opere perficerit. »

Beatus qui
vult potius
mori quam
peccare.

Tunc illa procidens ad pedes Domini, conquesta est quod omne tempus vitæ suæ inutiliter vivendo consumpsisset, proponens de cætero, si possibile esset, quod usque in diem extremi judicii vivere vellet, etiam in maximis pœnis et doloribus, in quibus homo vixit super terram. Cui Dominus : « Pro omnibus quæ neglexisti, ut ea plene recuperes, saluta Cor meum in divina bonitate, quia ipsum est fons et origo totius boni, et unde omne bonum procedit. Secundo, salute Cor meum in affluentia omnis gratiæ quæ effluxit, effluit et effluet in omnes Santos et animas salvandorum. Tertio, saluta veniam illam dulcissimam benignissimi Cordis mei, quæ toties erumpens infudit et inebriavit animam tuam torrente meæ divinæ voluptatis. »

Cordivinum
fons boni,
salutis et
gaudii.

CAPUT IX.

DE SALUTATIONE DOMINI, ET EJUS CONSOLATIONE.

CUM vice quadam animæ suæ Dilectum præcordialiter salutasset, ille respondit : « Cum me salutas, resaluto